

253

251

257

247

262

242

302

202

352

152

Ende

Anfang

238

rejectis a se calceamentis, nudis pedibus incedebant per omne tempus, quo in terra sancta versabamur, in hoc gloriosa vestigia Salvatoris nostri venerantes, et beatissimae Virginis Mariae et Sanctorum veteris et novi testamenti. Cum autem ad portam, quae dicitur porta David, vel piscium vel negotiatorum, venissemus, per ipsam portam inclinatis capitibus ingressi sumus. Quia in illo introitu indulgentias plenariae remissionis consecuti sumus (††). Per vicum autem longum a porta processimus, et ad quandam magnam ecclesiam clausam venimus, ante quam erat atrium decorum magnum albissimo et polito marmore stratum. Cum autem in atrio staremus, quidam de fratribus montis Syon in eminentiorem locum se ponens pronunciavit nobis, hanc esse ecclesiam sanctissimam toti mundo venerandam, in qua thesaurus Christianorum pretiosissimus, dominicum scilicet sepulchrum, est reconditum. Quod cum audivissemus, in ipso atrio ante fores ecclesiae nos prostravimus, et adoravimus, et terram ipsam repetitis vicibus deosculati sumus. Pro certo autem ipsis peregrinis sic in terra prostratis videbatur, quod ex ipsa terra quaedam spiraret virtus, qua vehementius rapiebatur in devotionem affectus. O Domine Deus, qnam dulce est osculum oris tui, cum ipsum osculum non pedum sed vestigiorum tuorum tantum affectum dulcescat! O frater mi, si in ista hora mecum in atrio illo fuisses, vidisses et audivisses tam exuberantes lachrimas, tam amaros et cordiales gemitus, tam dulces ejulatus, tam alta suspiria, tam profunda lamenta et ex intimis singultus, tam quieta et jocunda silentia, et si cor lapideum habuisses, liquefactum fuisset, et simul cum ipsis peregrinis lachrymantibus resolutus in lachrymas uberes fuisses. Vidi ibi quosdam peregrinos quasi destitutis viribus resolutos in terra jacere, se quodammodo ignorantes prae nimio sensu devotionis. Alios vidi hinc et inde de angulo in angulum cum planctu migrare, quasi spiritu alieno impellerentur. Aliqui stabant fixis in terram nudis genibus et brachiis in modum crucis extensis cum fletu orabant. Aliqui vero tanto singultu concutiebantur, ut sustinere se non possent, et sedere cogerentur, et caput propriis manibus stringere, ut singultus crebrius eructuantes sufferre valerent. Aliqui jacebant immobiliter prostrati tam (B)

